

CONCLUSIO.

AD duos & triginta articulos respondi breuiter, quia constitui meam responsionem proponere pro thematib. futurae disputationis, in qua liberum erit cui libet interrogare de his, de quibus dubitat, Et oppugnare nostram, uel confirmare aduersariorum sententiam. Et offero me ad uberiores eorum, quae hic breuiter commemorauimus explicationem.

Quod si aduersarij nostri quererent aut amarent ueritatem, uel afficerentur misera dissipatione Ecclesiarum, uel querelis piorum, quos audiunt inter tormenta et in media morte puram Euangelij doctrinam profiteri, non adeo abhorrerent à libera disputatione, ac fuisset iam toti orbi ueritas patefacta, si colloquium uormaticae institutum non curassent abrumpi, uel permitterent adhuc reliquos articulos in libero colloquio excuti, sicut ille primus de peccato originis fuit exagitatus. Sed sicut Christus ait, Omnis qui male agit, odit lucem, & non uenit ad lucem, ne arguantur opera eius, ita isti latebras querunt, & lucem fugiunt ac curant sua placita per leges sanguine scriptas confirmari. Verum non libet de his nunc queri longius, ac ne quid-

F 5

quam

*Papista
lucem fugiunt
& sanguine*